

15  
G. D. B. F.  
SPECIMEN BOTANICUM  
De

# CONVALLARIÆ

Specie

Vulgo LILIUM CONVALLIUM dicta,  
Ex occasione Loci Cantic. II. v. 1.

Cujus

PARTEM PRIOREM,

*Ex indultu Amplissimi Collegii Philosophici, in Illustri  
Academia Regia Aboensi,*

PRÆSIDE

*VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo*

D. N. JOHANNES BRO-  
WALLIO,

S. S. Theol. Doct. & Philos. Natural. Prof.  
Reg. & Ord.

H. t. Decano Maxime Spectabili,  
*Publico Bonorum Examini,*

In Audit. Maximo A:o 1741. Die 27. Julii  
Horis pomeridianis,  
*Modeste submittit*

HENRICUS H. LILIUS,  
*Satacund. Fin'and.*

---

ABOÆ excud. Joh. Kizæmpe, Reg. Acad. Typ.

*VIRO Amplissimo atque Consultissimo,*  
*DOMINO,*

**Dn. GABRIELI THAUVONIO,**  
Per districtus Satacundiæ superioris Judici Territo-  
riali æqvissimo, Patrono, ut benignissimo, ita  
ad cineres usque submisit devenerando:

*Plurimum Reverendis & Praclarissimis VIRIS,*  
**Dn. Mag. JOHANNI WANÆO,**  
Pastori in Orivest dignissimo, Patrono & Everge-  
tæ jugi observantia colendo:

**Dn. Mag. HENRICO LILIO,**  
Pastori in Mäsuby meritissimo, Patri indulgentis-  
simo, pietate & obsequio filiali æternum  
prosequendo:

*Spektatissimis ac Prudentissimis VIRIS,*  
**Dn. JOHANNI FORSS,**  
Prætori Territoriali in superioris Satacundiæ par-  
te inferiori adcuratissimo, Benefactori  
æstumatissimo:

**Dn. IMMANUELI ALLENIO,**  
Mercatori Aboensi laudatissimo, Fautori & Amico  
plurimum honorando:

**T**enus has pagellas, tamquam testes animi venerabun-  
di & gratissimi, obsidesque adfectus devoti & officio-  
sissimi, cum voto omnigenæ felicitatis

D. D. D.

HENRICUS H. LILIUS.

MI FILI.

¶ Naudio, quod non potest non esse mihi voluptari, Te, in  
 Viridario Academico versantem, non pingere cucurbitas sed  
 carpere LILIA, ore, a quo pendes. Laudatissimorum in eodem  
 Hortulanorum profeminata; non terere tempus futilibus, sed  
 UTILIA Tibi aliisque sectari Macul hoc nimis, hac virtu-  
 te; & audebo Tibi olera pretium haud pœnitendum ominari.  
 Precipue vero in florilegio Tuo id perplacet, quod LILIUM il-  
 lud CONVALLIUM MISTICUM sic Tibi in pretio & deliciis,  
 idque in Rosario Spiritus Sancti, scripto in eum finem a Te  
 concinnato & publice defendendo, ostendas Et quis conamen adeo  
 bonum atq; pium non adprobet? Cum enim Scriptura Sacra, non  
 tantum lecta, verum etiam intellecta, nobis Christianis sit pro-  
 pria, & Benedictus in secula SALVATOR NOSTER ejusdem  
 nucleus plus quam gemmeus; utique notitie utriusq; opera-  
 ri, labor est optimus atque fructuosissimus. Sit felix aditus  
 Tuus ad hæc adyta! Adhæret Favonius Cœlestis studiis  
 Tuis canctis, ut, qua vere juventutis menti inseris sapientie  
 germina, atate maturiore fructus ferant egregios! Voveo ani-  
 mitus,

Pater tuus

HENR. G. LILIUS.

Cant. 2: 1.

אֲנִי הַכְּצֵלֶה הַשְּׂרֹן שׁוֹשַׁנֵּת הָעַמֻּקִּי

TREMELLIUS.


Ego sum rosa Scharonis, *LILIUM CONVALLIUM*.

Matth. 6: 28.

καταμάθετε τὰ κείνα τὰ ἀγροῦ πῶς αὐξάνου.

BEZA

Discite quomodo *LILIA* agrorum auferant.



A. n.

§. I.

*De Botanica Elementari in genere agit.*

**B**otanica Elementaris vegetabilia certo dignoscere, & rite denominare docet. Certo autem dignoscuntur plantæ, quando notæ characteristicæ innotuerunt, quibus singulæ ab omnibus reliquis semper & ubique discerni possunt; rite vero denominantur, cum nomen intelligibile additur, h. e. notis characteristicis jungitur comita denominatio. *Ufus*, quem disciplina hæc præstat, quod inventarium regni vegetabilis tradat, haudquam exiguus est. Nimirum, infinita regnum hoc hominibus ad sustentationem vitæ & conservationem necessaria larga manu præbet, ut pote sunt, quæ ad victum, amictum habitationemque pertinent, vel contra morbos quoscunque valent. Nec parca manu ea, quæ vitæ *jucunditatem* atque voluptatem spectant, profundit. Sensus pascit non tantum corporeos, sed mentem ipsam quoque adficit, & ad laudem ac amorem maximi Auctoris elevat; infinitum perinde ac jucundissimum scientiæ augendæ campum aperit multiplex Floræ ornatus, pulcherrima omnium

A

par-

partium conformatio, exquisitissimi colores, odores, sapores &c. quibus singulæ plantæ Opificis sui magni vestigia nobis plurima exhibent, adeo ut vere

*Presentem monstrat qualibet herba Deum.*

Hos autem fructus, quos per totam studii botanici amplitudinem quærimus, præter simplicem vel *Elementarem*, de qua loquimur, rei herbariæ *notitiam* adquirere non possumus. Sive enim *Botanicam Physicam* experimentis *Mechanicis & Chemicis* studes, sive *Technicum* rei herbariæ usum quæris, sive eandem ad *Oeconomiam* institutionem applicas, sive *Pharmaceuticam Botanicam* addiscere cupis, omnium primo *Elementariæ Botanices* studio fundamenta jacienda sunt; scilicet, ut plantæ rite descriptæ & adumbratæ methodo genuina *systematica*, qua vegetabilia secundum characteres summos, medios & infimos in certas disposita sunt phalanges, seu *classes, ordines, genera & species*, indeque apte denominatæ, in proprio loco, tanquam sub suo vexillo militantiæ, inveniuntur. In tanta enim specierum multitudine, quippe quæ ultra 20000. a Botanophilis collectæ numerari solent, licet ad numerum dimidio minorem, rejectis variationibus, revocari forte possint, impossibile est plantæ nomen invenire, nisi dispositione iusta tanquam filo Ariadnæo ducamur. Hæc autem ipsa & jucunda, & brevis, & tuta est ad *notitiam plantarum perveniendæ via*. Postquam vero tali plantas cognoscere didicimus ratione, ad commodum nostrum citra confusionem possumus convertere omnia ea, quæ vel alii detexerunt, vel ipsi deprehendimus de natura & usu vegetabilium; cum alio-

3

alioquin omnis labor, Botanicæ Elementari non  
superstructus, omnino frustraneus sit. Quid e-  
nim juvat mille virtutes & usus de subjecto incognito  
enumerare posse? Regulas, secundum quas speci-  
es, genera, ordines & classes construi debent,  
plantæque denominari, hic explicare nihil attinet.  
Optimas & sufficientissimas in *Fundamentis Botanicis*  
suppeditavit insignis Botanicæ Elementaris instaura-  
tor, Medicinæ practicæ nuper in Upsaliensi Acade-  
mia constitutus Professor Celeb. CAROL. LINNÆ-  
US. Omnia tamen ultimo eo collimant, ut cogni-  
tionis obtineatur certitudo, & quantum poterit, la-  
boris compendium. Nam re ipsa nihil nisi alpha-  
betum didicit, qui Botanicam Elementarem callet;  
cum restet natura & usus vastissimis & adcuratissi-  
mis addiscendus conatibus. Dari *naturale systema* haud  
sine ratione adstruitur, quod clavem fortasse cogni-  
tionis hujus, saltem pulcherrimas speculationes & ex-  
perimentandi rationes suppeditaret; sed hoc adhuc-  
dum latet. Interim tamen non negamus etiam arti-  
ficialia systemata, quo magis ad naturale accesserint,  
eo majorem etiam circa usum & naturam cognos-  
cendam posse præstare facilitatem; licet id studio-  
se cavendum censeamus, ne nimium pulchris opini-  
onibus fidentes contra experientiam, vel sine eadem u-  
niversales condamus regulas. Patet igitur pondus at-  
que pretium *Botanices simplicis*, quod sit omnis scien-  
tiæ de vegetabilibus, Oeconomicae & Pharmaceuticæ  
inprimis basis ac fundamentum. Huic vero opponi-  
tur methodus *empirica* plantas cognoscendi, quæ ho-

4  
die indies magis magisque vilescit, & non nisi gregariis quibusdam chirurgis, pharmacopæis atque vetulis est in usu. Cum enim summa laboret incertitudine & confusione, ac per infinitas ambages divagetur, ut tædiosissima est, ita omnino inutilis. Certitudo labores Botanici compensat; qui vero illam non adsequitur, pudore pœnitentiæque errorum obruitur. Methodus hæc empirica multorum præterea incommodorum mater est ac genitrix. Cum enim, qui rem herbariam solo usu diuturno & sine ordine addiscere conantur, molestam non tantum ac longam, sed & incertam ingrediantur viam, quid pro quo, hanc plantam pro illa sæpissime imprudentes sumant, necesse est: unde multi in Oeconomiam, maxime vero Medicinam errores & damna invehuntur.

§ II.

*De studio in Botanica Monographico pauca tradit, & institutum aperit.*

**I**NTER Scriptores Botanices plurimi sunt, qui unicam vegetabilium speciem opere singulari explicaverunt; quos sub Titulo *Monographorum* in Bibliotheca recenset LINNÆUS. Horum labor laude sua non est defraudandus. Possunt enim Monographi, utpote quorum diligentiam una solummodo planta occupat, omnia eo spectantia sufficienti otio & accurato studio profèqui. Semper igitur aliquid novi, quod vel ad incrementum scientiæ pertineat, vel usum subjecti concernat, jure a Monographis expectamus.

At



At vero ex illis oppido pauci sunt, qui aliquid momenti ad Botanicam elementarem attulerunt; plurimi enim officio suo sibi satistecisse visi sunt, dum philologica, historica & curiosa studiose persecuti fuerint. De usu præter ea mechanico & medico multa apud eos diffuse pertractata occurrunt. Plantam vero ipsam sæpius vel imperfecte, vel incommode descriptam invenies: immo nonnulli, cæteris & essentialibus characteribus omissis vel neglectis, circa vagas & incertas notas hæserunt; adeo ut operose nihil fere egerint, & diligentissimi lectores vix possint certo subiectum scriptio- nis cognoscere. Quo magis ergo culpandi sunt qui sola fide aliena nituntur, & vegetabile illud nunquam oculis propriis usurparunt, quod magno doctarum fabularum apparatus celebrant. His proinde malis & defectibus Celeberrimi, recentiores imprimis, Botani- ci & optimis regulis; & luculentis exemplis obviam ire & mederi conati sunt. Quam ob rem cum ego, suatu eorum, quibus vitæ obsequium debeo, id oneris susceperim, ut *plantam* in opellæ frontispicio indigita- tam adambando tirocinium ponerem Academicum, optime meas partes me exsequuturum reor, si ad horum celebrium virorum regulas & exempla me composuerim. Non enim illis instructus subsidiis tra- ctationem adgredior, quæ aliquid novi promittere queant. Satis igitur erit, si in descriptione subje- cti hujus quaecumq; methodi monographicae specimẽ dare potuerim; quod eo proinde pacto instituere li- cebit, quo exercitationi meæ maxime profuturum judicaverim. Peculiaribus quidem scriptis DOEDER-

6  
**LINGIUM** Wittebergensem & **SIEGESBECKIUM**  
 Petropolitanum ante me de Lilio convallium egisse  
 accipi; sed cum neutrum videre licuerit, de iis  
 nihil habeo quod dicam

§. III.

*Nomen Planta* & *synonyma* quaedam exhibet.

**N**omen est, quod rem, de qua loquimur, ab  
 aliis rebus distinguit. Quo magis ergo distin-  
 ctam generat ideam, eo est perfectius. Perfecte no-  
 minata planta est nomine *generico* & *specifico*, rite  
 constructo, donata. Priori enim genus determina-  
 tur; posteriori a congeneribus distinguitur. Subjecti  
 nostri perfectius nomen apud scriptores non occur-  
 rit, quam quod a LINNÆO ei inditum est in Flo-  
 ra Lappon. pag. 79. n<sup>o</sup> 112. **CONVALLARIA**  
*scopo nudo*. Rationem denominationis §. V. illustra-  
 bimus. addimus jam *synonyma*, quatenus subjectum  
 nostrum intelligibiliter a diversis Phytologis nomina-  
 tum est:

**LILIAGO** Waillantii, Paris. 116.

**MAJANTHEMUM FLORE ALBO SIMPLICI** Siegesbeck.

Mongr. 8. Linn. Hort. Cliff.

**LILIUM CONVALLIUM** Casalpini Syst. 224.

- - - - - Dodonai Pempt. 265.

- - - - - Dalecampii Hist. 838.

- - - - - Tillands. Cat. Plant. Ab.

pag. 39. icon. 144.

- - - - - Rudbeck. Vall. 21,

- - - - - Franckenii Specul. 18.

**LILIUM CONVALLIUM MAJUS** Linderi Flor. Wiksb.

**LILIUM**